



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacramentum Ordinis

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput I. De Nomine, & Essentia Ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42240



PARS I.

*De Natura, Numero, Mate-
ria, Forma, Ministro, &
Effectu Ordinum.*

CAPVT I.

*De Nomine, & Essentia
Ordinis.*

Nomen Ordinis inter
 varias hujus nominis
 significationes tripli-
 citer accipi potest. Primò pro
 legitimâ rei cujusque colloca-
 tione in suo loco : Sic in
 templo, altari, domo, &c. di-
 cuntur omnia rite esse ordi-
 nata sive esse in bono ordine,
 quando singula suo loco sunt
 collocata & posita. Secundò
 per excellentiam sumitur pro
 certo hominum statu, sic dici-
 mus esse aliquem Ordinis sive
 status Religiosi, Clericalis, Sa-
 cerdo-

Nomen
 Ordinis
 variè acci-
 pitur.

2 De Essentialibus

Definitur
quid sit
Ordo.

cerdotalis , Episcopalis , &c.
Tertio pro caeremonia sacra
per quam quis collocatur in
certo statu & gradu Ministro-
rum Ecclesiae. Et in hac postre-
ma significatione Ordo dicitur
Sacramentum , solèturque defi-
niri à Theologis hac brevi de-
finitione : Ordo est Sacramen-
tum, quo confertur spiritualis
potestas circa Eucharistiam
rite administrandam. Dicitur
Sacramentum, quia est signum
sensibile sive caeremonia ex-
terna à Christo instituta, cau-
sativa gratiae ; non modò ha-
bitualis sive hominem justifi-
cantis , sed etiam actualis ad
munia cujusque Ordinis rite
obeunda ; quo confertur po-
testas spiritualis , significata
quidem per materiam , attra-
men clarius expressa per For-
mam , circa Eucharistiam rite
administrandam. Estque hac
potestas duplex, immediata &
mediata. Immediata confer-
tur soli Sacerdoti , qui imme-
diatè, id est, nullo alio Ecclesiae
Ministro

Ministro mediante per se & directè conficit Eucharistiam; mediata autem reliquis in Ordine inferiore constitutis. Illis enim datur sola potestas exercendi sacrum aliquod Ministerium, quod dirigitur & ordinatur ad conficiendum à Sacerdote Corpus & Sanguinem Christi, ut patebit consideranti singulorum Ordinum officia & functiones. Nec obstat potestatem absolvendi in Sacerdote non esse circa Eucharistiam. Nam, licet non sit circa illam directè & formaliter, est tamen circa illam præsuppositivè; quia potestas absolvendi essentialiter præsupponit potestatem consecrâdi. Qui enim non habet potestatem in verum Christi Corpus, nec habet potestatem in Corpus ejus mysticum, id est, in fideles Christi. Atque ex his modò dictis manifestè sequitur, Ordinem non esse certum aliquem statum, in quo homines vivunt, sed esse externam
A 2 aliquam

4 De Essentialibus

Rectius di-
citur Ordi-
natio quam
Ordo.

D

Potestas in
Ordinatis
est immu-
tabilis.

aliquam caeremoniam sive sa-
crum ritum, per quem, ut su-
pra dictum, collocatur quis-
piam in certo statu & gradu
Ministorum Ecclesiae. Unde
hoc Sacramentum rectius di-
citur ordinatio quam Ordo,
quia efficit diversos gradus &
status in Ecclesia Dei, & unum-
quemque ad certum gradum
stabiliter promovet ac ordi-
nat: prout etiam Trid. Sess 23.
de Sacrament Ord cap 4. Can. 3.
hoc Sacramentum nominat
Ordinationem. Dixi stabiliter
promovet. Nam ordinari non
est nudè deputari ab Ecclesia
ad officium aliquod Ecclesia-
sticum, ita ut potestas exer-
cendi huiusmodi officium se-
mel tradita revocari, & demudò
auferri possit, ut volunt Aca-
tholici; sed est stabiliter con-
secrari in Ministrum Ecclesiae,
ita, ut potestas exercendi Mi-
nisterium Ecclesiasticum de-
inceps amitti vel auferri ne-
queat: licet huius potestatis
usus & exercitium ab Ecclesia
prohi-

prohiberi possit per suspensionem vel irregularitatem. Vide Laym. *Tr. 2. de Sacram. Ord cap. 1.*

CAPVT II.

De numero Ordinum.

Septem à Theologis passim assignantur Ordines : nimirum quatuor Minores, ut Ordo Ostiarii, Exorcistæ, Lectoris, Acolythi, sive Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolythatus, & tres Majores, ut Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium, quod à nonnullis subdividitur in minus, estque illud, quod simplici Sacerdoti confertur, & in Sacerdotium majus sive Episcopatum : ita ut Presbyterium & Episcopatus non sint duo Ordines, sed unus, qui in Episcopatu extenditur ac perficitur : sicuti non sunt duo Ordines, quando Sacerdos accipit potestatem consecrandi &

Septem sunt Ordines, quatuor Minores, tres Majores.

Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.